Cum moriar inquit siti nisi poculi alicuius beneficio con-
tinuo refocillar. Absque mora vir dei prosiluit
de asino et fixis in terra genibus palmas tetendit
in celum orare non cessans donec se intellexit audi-
tum. Oratione tandem finita festina inquit viro
ad petram et illic aquam vivam invenies quam hac
hora misericorditer christus de lapide bibendam pro-
duxit. Stupenda dei dignatio que servis suis
tam facile se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de
petra orantis virtute productam et poculum hau-
sit de saxo durissimo. Aque decursus ibidem
ante non fuit nec ut est diligenter quesitum deinceps
potuit inveniri. Qualiter autem pro meritis sui
pauperis christus multiplicaverit cibos in mari
cum suo loco sit inferius annotandum hoc tantum
commemorasse sufficiat quod de modica elemo-
sina sibi collata nautas a famis et mortis
periculo per dies plurimos liberavit ut ex hoc
liquido possit adverti quod omnipotentis dei fa-
mulus sicut in eductione aque de petra conformis
exstitit moysi sic in multiplicatione victu-
um alius helyseo. Procul igitur a pauperibus christi

Licenza: CC-BY-NC – Luzern, Provinzarchiv Schweizer Kapuziner Luzern, PAL L, f. 45r – Bonaventura, Legenda maior s. Francisci . Vita beati Antonii (http://www.e-codices.ch/it/pal/L/45r)